



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCC. Ioannis Papae VIII. Ad Romanvm Archiepiscopvm  
Ravennatem. Praecipit vt Ioannem diaconum benigne excipiat, & res ei  
ablatas restituat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

ne, atque incolumitate, sicut ab initio, erit omnium vestrum apud Deum & præsens sæculum certa salutatio. Nos enim in hac terra tam Paganorum, quam malignantium Christianorum tantas persecutiones patimur, vt has verbis explicare non valeamus. Inter innumeratas rapinas, deprædationes, & mala quamplurima, ad augmentum doloris nostri quidam sceleratus Longobardus nomine, homo Vvidonis marchionis, octoginta tres homines cepit: manibus singulis detruncatis apud Narnensem civitatem, plures ex tali sunt incisione sine mora perempti. Vnde communi ad Dominum prece supplicamus, vt ille ecclesiam suam sanctam de præsentibus malis eripiat, pro qua vnigenito filio suo non pepercit. Nosque pastorali solitudine baculum in manibus tenentes, lupis rapacibus, Domino protegente, resistere non omittemus. Data mensa Augusto, indictione \* XII.

## EPISTOLA CCC.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ROMANVM ARCHIEPISCOPVM  
RAVENNATEM.

Præcipit vt Ioannem diaconum benigne excipiat, & res ei ablatas restituat.

*Reuerendissimo & sanctissimo Romano archiepiscopo Ravennati.*

**Q**VIA non solum tempore ordinationis tuæ, te scriptis & verbis secundum morem, & canonicam sanctionem, sed postmodum saepissime admonere curauimus; quatenus cum filiis, & membris sanctæ tuæ ecclesiæ tranquilla semper mente, & alacri affectione, ceu idoneus pastor existeres: valde miramur dilectionem tuam, monita nostra contemnendo, eis præiudicium, sicut audiimus, & importabiles grauitates inferre minime recusasse. Vnde iterum præsenti apostolatus nostri statuto iubemus fraternitati tuæ, vt huic Ioanni venerabili diacono commendato nostro, qui ad nostram apostolicam sedem confugiens præiudicium a te sibi illatum ferre non valens, nostro se petiit apostolico præsidio adiuuari, & ideo nos solita misericordia moti apostolica tibi benignitate man-

damus, vt eum in gremio sanctæ tuæ ecclesiæ benigne recipias, & monasteria, seu res quas illi tui occupauerunt ministri, libenti animo pro amore nostro præsentialiter reddas. Et quæ de ipsis rebus a tuis ablata sunt, modis omnibus restituas. Ita sane, vt ei deinceps ad nostras apostolicas aures non sit necessarium reclamare. Simili etiam modo tibi mandamus, vt Ioanni venerabili diacono, & chartulario ecclesiæ tuæ monasterium sancti Martini, quod a te dudum promeruit obtinere, de præsenti reddere studeas: nos enim hoc patienter ad te peragendum apostolica benignitate direximus. Verum, quod non credimus, si aliter fraternitas tua peregerit, hi nostri legati nostra apostolica fulti auctoritate, hoc proculdubio explere studebunt: quoniam iustum fore decernimus, eos post longa obsequia, & diurna seruitia, quæ in sancta Rauennate ecclesia peregerunt, non solum digna remuneratione non priuari, sed potius acquisitis beneficiis alacriter gratulari: & in hoc ita peragat fraternitas tua, vt quæ a nobis pro ecclesiæ tuæ utilitate petieris, assequi omnimodis valeas. Data v. Kalendas Septembbris, indictione xv.

## EPISTOLA CCCI.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CLERVM RAVENNATEM.

Vt Maimbertum quemdam, quem alias ab ecclesia Rauennate expelli iusserat, comprehensum, legato suo & Ioanni duci tradant, & ad se mittendum curent.

*Omnibus venerabilibus sacerdotibus, seu subdiaconibus, & iverso clero sanctæ Rauennatis ecclesiæ.*

**A**VDITA sæpe afflictione atque miseria vestra, quam per Maimbertum Bononiensem clericum incessanter patimini, iam pridem nostram apostolicam misimus vobis auctoritatem per Ioannem diaconum & chartularium præcipientes, vt omnes vno animo constantique deuotio ne prædictum Maimbertum manifestissimum zizaniorum seminatorem ab archiepiscopo, & a vestra sancta ecclesia, tamquam ouem morbidam expelleretis; sed mira-